



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCII. Cvno. LXVI. Arch. XXI. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

pissent Augustum Hospitem, honoris nihil Boemundus prætermisit. Inter dona Cæsari gratissima venit corpus D. Palmatii Martyris Treviris in Bohemiam translatum donante Boemundo. Annis sequentibus auctæ & firmatæ Electorales ditiones. Ætate ad senium vergente, Boemundi mansuetudine abusos fuisse inter alios memorant Philippum Comitem Isenburgicum, & Rupertum Palatinum, quorum hic arces firmandis rebus suis moliri cœpit, jure à Wesaliensibus impeditus: ille verò Gretensteinium non procul Vilmaria excitavit: unde Cuno Falckensteinius senescenti Archiepiscopi in Adjutorem datus, Philippum Comitem cum devicta arce interceptit, & repetita rebellione denuo captum Electoris sui arbitrio reliquit: Elector verò membris omnibus captus morti succubuit an. 1363. Sed. an. 9.

XCII. CVNO. LXVI. ARCH.

XXI. ELECTOR.

Cuno stemate Falckensteinius ab Innocentio IV. Pont. confirmatus & inauguratus, continuo cum civibus, certis partus est legibus, ut domi res forent quietæ; quem in finem urbi Trevirensium Hebræorum 50. familias indulgit, quæ tributa solverent. Verùm urbs eadem libertatis Democraticæ studio capta, à Cunone vi, ab Imperatore judicio pressa, sensit se frustra oblectari; unde oblatam ab Electore suo pacem admisit. Hic verò ad Diœcesis curam conversus à Winnebergiis arcis Billsteinæ partem coemit. Molsbergum quoque adjunxit Ecclesiæ, & Comitem Silvestrum cum prædonum manu latè grassantem fregit. Andernacenses non minùs potestati sacræ obrectantes non sine multa compescuit. Rebus permultis aliis ritè compositis bella perpetuò declinare studuit, experientiâ præclare doctus æstimare fructus pacis eximios. Tempore pacis exornandis sacris ædibus intentus, D. Helenæ caput ex Galliis Treviros in summam ædem

rans.

transtulit: dotavit pariter SS. Trinitatis, DD. Nicolai, Agnetis & Georgii aras proventu annuo, ut Sacrum in dies fieret ex voto Boremundi. Eadem ætate Engelberto Coloniae Archiepiscopo vitâ functo, in Sedem invitatus Cuno Administratoris munus, minime verò dignitatem ipsam admisit, insigni Coloniensis Ecclesiae fructu, quem in rebus cunctis diligenter quæsivit. Imperatoris Caroli gratiâ potens, privilegia & nova & vetera curavit confirmari, & beneficiis augeri inauditis hæctenus, inter quæ venere telonia Septem - Viris Imperii ab Imperatore donata, ut Wenceslaum filium crearent Cæsarem, tanto Solio futurum indignissimum, præsertim difficillimo tempore, quo Ecclesia & Imperium tempestatibus maximis cœperunt concuti. Archipræsuli interea curæ fuit diversis nobilium clientelis res suas ornare & firmare; nobiles iidem erant Spanhemii, Nassovii, de Marca, Seinæ, de Wiede, Isenburgicus, Reuschenbergii aliique. Brechena inferior ab eodem muris est cincta. Idgensteinii quoque Canonorum Collegium instituit, hodie hæresi abolitum. Inter postremos labores Cunoni erat expeditio Ravensteiniana, qua unâ cum cæteris Ecclesiasticis Electoribus Ludovicum eius loci dominum, prædonem plurimis gravissimum domuit; quietis demum appetens in Wernerum pronepotem suum Urbano VI. Pontifice annuente, Canonicis verò obstrepentibus Pedum transtulit an. 1388. Sed. an. 20.

XCIII. WERNERVS. LXVII. ARCH.

XXII. ELECTOR.

Wernerus de Königsteiniorum stemmate natus, & multis virtutibus exornatus Treviris Archidiaconus, Canonorum demum etiam admissus est suffragiis. Lite una sublata, mox altera eidem est nata cum sanguine proximis, qui Cunonem Archipræsulem nuper mortuum thesauros soli Wernero cognitos abscondisse crediderunt. Litibus accessere pugnae, quarum